



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

2 De diuisione in maiorem, & minorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Utrum excommunicatio in maiorem, & minorem recte diuidatur.

*Cap. de Pres-
byt. 17 q. 4.
Ca. unico de
Cleric. ex-
com. ministr.*



*C. penul. de
Sent. excom.*

Explicandum iam est, quod duplex sit hæc censura. Supponimus autem hic habere locum diuisiones fere omnes supradatas de censura in communi: quædam enim est communicatio à iure, alia ab homine: quæ interdum fertur per generalem sententiam, interdum per particularem; & sæpe iusta est, aliquando vero iniusta, quæ interdum valida est, & aliquando nulla. Quæ omnia sicut in censura in communi explicata sunt, ita sunt ad excommunicationem applicanda, quia eandem proportionem seruant; neque aliquid addendum occurrit præter ea, quæ de effectibus dicemus. Solum ergo tractanda est in præfenti diuisio, proposita, quæ communis est Doctorum omnium, & fundamentum in iure habet. Nam in illo sæpe fit mentio excommunicationis, quæ separatur homo à gremio Ecclesiæ, ut in ca. de presbyt. 17. q. 4. & aliis infra citandis. Et hæc est excommunicatio maior. At in c. unico de cleric. excom. ministr. fit expressa mentio excommunicationis minoris, & consequenter indicatur etiam maior: quia minor non dicitur, nisi comparatione maioris quæ etiam ibidem nomine anathematis significatur, ut statim dicam. Vtrumque autem membrum huius diuisionis definiri videtur in c. penul. de Sent. excom. Excommunicatio maior est (dicitur ibi) quæ à communione fidelium separat: minor, quæ à perceptione sacramentorum. In utraque autem definitione subintelligitur excommunicatio loco generis proximi, ut per se notum est. In priori vero, cum loco differentie dicitur, quæ à communione fidelium separat, illa indefinita locutio non est abstractè fumenda, sicut in præcedente sectione dicebamus, sed distributive seu totaliter, & omnino: iuxta illud axioma quod in materia doctrinali indefinita sæpe æquiualeat vniuersali, quod in illo loco necessarium est, quia in hoc consummatur tota ratio excommunicationis maioris: quoad simpliciter priuet omni Ecclesiastica communione, tam sacra, quam ciuili seu humana, quatenus ab Ecclesiæ potestate & voluntate pædet, iuxta explicationem datam in sectione præcedente. In altera vero definitione additur loco differentie constituentis excommunicationem minorem: quod non priuet absolute tota communicatione fidelium, sed ex parte, scilicet quoad passium vsum sacramentorum.

Ratio maioris excommunicationis speciatim declaratur.

*Ratio sub-
stanti.*

C. ult. 3 q. 4.

Ut autem hæc diuisio magis explicetur, nonnullæ difficultates, quæ ex dictis definitionibus oriuntur, tum circa singula membra, tum etiam circa totam diuisionem proponendæ sunt. Prima difficultas est circa definitionem excommunicationis maioris; nam sequitur illam semper esse maximam, ita ut in ea non sint gradus: neque possit in Ecclesia esse aliqua excommunicatio maxima excedens illam, quæ communiter maior dicitur: consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia illa est Summa priuatio, vel separatio, quæ omni Ecclesiastica communicatione priuat. Minor probatur, nam quantum ex canonibus Ecclesiasticis colligi potest, Anathema est quædam censura excommunicationis maxima in eo genere, & excedens excommunicationem maiorem. Quod patet primo ex capite vltimo tertie, quæstione quarta, ubi de Engelstruda dicitur non solum excommunicatione, quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore recedit, crebro percussam esse. Et similiter

A in capite Nemo Episcoporum, vnde decima quæstione tertia, distinguitur priuatio communionis Ecclesiasticæ ab anathemate: & ideo, licet Episcopus possit priuare communionem Ecclesiasticam ob sufficientem causam à se cognitam, non tamen sub anathemate vti. q. 1. bi dicitur, sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum: quia anathema est æterna mortis damnatio: & non nisi pro mortali debet imponi crimine: & illi, qui aliter non potuerit corrigi; & clarius in capite Cum non ab homine, de Iudiciis. Nam de clerico homicida ait Cælestin. Papa, Deponendus est: quæ si depositus incorrigibilis fuerit excommunicari debet: deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri. Vbi in secunda pena aperte loquitur de excommunicatione maiori, ut patet, tum ex absoluta appellatione, ut infra videbimus, tum ex grauitate causæ, seu delicti, tum etiam, quia subiungitur post depositionem, quæ grauisima pena est: & tamen tertio loco additur anathema tantquam censura grauior. Idem potest colligi ex Concilio Trident. sess. 13. Vbi anathema fertur in eum, qui negauerit aliquam ex veritatibus fidei, ibi de finitis ad mysterium Eucharistiæ pertinentibus in canone vero vnde decimo, cum docuisset Concilium, post conscientiam peccati mortalis, non obstante contritione, præmittendam esse confessionem ante communionem: quia id non definebat tantquam de fide, subdit. Si quis autem contrarium docere præsumperit eo ipso excommunicatus existat. Vbi sine vlla dubitatione loquitur de excommunicatione maiori, & tamen significat esse aliquid minus, quam anathema.

Nihilominus ad hanc difficultatem dicendum est recte definitam esse excommunicationem maiorem, & ex ea definitione optime colligi substantialiter, seu essentialiter vnam tantum esse speciem huius excommunicationis: quia in eo genere continet maximam priuationem: & cum peruenitur ad maximum terminum, non potest in eo esse substantialis varietas, ut recte argumentum probat, sicut sub genere animalis maxima, seu perfectissima species vna tantum est.

Deinde concedendum est, nomine anathematis Ecclesiæ vsum significari censuram excommunicationis. Circa quam vocem aduertendum est propriam esse Hebræorum, & ab eis fuisse deriuatam, ut obseruat Hieronymus ad Galat. 1. Videtur autem illa vox esse æquiuoca, ut significarunt Augustinus libr. 4. quæst. in Num. cap. 40. & 41. Chrysostom. serm. de anathem. tom. 5. & Iustinus Martyr q. 121. vbi sic ait: Anathema dicitur id quod reconditum, & secretum est Deo, nec iam ad communem vsum sumitur: aut quod vitij, culpeque causa à Deo abalienatum est. In priori significatione sumitur apud Septuaginta Numer. 18 nam, vbi vulgata legit, Omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit. Ipsi legunt, Omne anathematismenon. In posteriori vero videtur sumi Numer. 21. nam vbi vulgata habet, Delebo vrbes eius. Septuaginta legunt, anathematizabo ipsas, & ciuitates eius: id est, delebo illos tamquam abominabiles, & execrabiles. Et in eadem significatione sumitur Iosue 6. & 7. & Deutero. 7. Vbi prius dicitur, Quia abominatio est Domini Dei tui: & postea subditur, Ne sis anathema, sicut & illud est, quasi spurcitiæ detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominatione habebis, quia anathema est. Potuitque vna significatio ex alio deriuari, nã, quia anathema dicebatur, quod specialiter Deo dicebatur, vel consecrabatur ex voto, vnde etiam quod in honorem Dei deleatur, aut separatur, vel excreatione habetur, anathema dici potuit. Quamuis verisimilius sit, aut verbum ipsum anathematizatio æquiuocum esse, nam & dedico, & detestor significat, aut illam vocem anathema, potuisse deriuari, & à verbo anathematizatio, quod est execrari, aut à verbo anathematizatio, quod est suspendere, quia ea, quæ ex voto offerebantur, in templis suspendebantur.

Sect. II. De Diuisione eius in maiorem, & minorem. 161

tur, sicut nunc etiam alicubi fieri videmus. Ex hac vero duplici significatione illa, quæ indicat rem execrabilem, & abominabilem, magis reuerentia est in nouo testamento, vt constat ex Marc. 12. ad Rom. 9. 3. ad Cor. 12. & 16. ad Galat. 1.

Atque hinc tandem in vsu Ecclesiæ anathematizari quis dicitur, cum ab Ecclesia separatur, & sic separatus vocatur anathema, tãquam ab Ecclesia maledictus, & aliis fidelibus execrabilis. Quod maxime vsurpatur, quando talis censura fertur in hæreticos, vt passim in antiquis Conciliis generalibus, & nouissime in Tridentina synodo fere in omnibus definitionibus fidei videre licet. Atque ita etiam constat, anathema in vsu Ecclesiæ relatum ad personas, nihil aliud esse, quàm censuram quandam excommunicationis, per quam aliquis à consortio, & communicatione fidelium separatur. Cui consonat illud Matth. 18. *Sis tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Per quæ verba omnes intelligunt significationem esse à Christo censuram excommunicationis. Dum autem quis anathematizatur, ita præscinditur ab Ecclesia, vt habeatur tanquam Ethnicus, & Publicanus: ergo ipsum anathema, nihil aliud est, quàm excommunicatio quædam. Dico autem relatum ad personas, quia solent etiam doctrinæ, & errores anathematizari, quo respectu non potest significare censuram aliquam, vt per se notum est, nisi fortasse casualiter, seu fundamentaliter, quia talis doctrinæ sectatores anathemati subiiciuntur. Vel certe doctrinam anathematizari, est hæreticam, & execrabilem declarari.

Rursus vero addimus, anathema substantialiter non differre ab excommunicatione maiori, atque adeo omnem huiusmodi excommunicationem quoad essentiam esse quoddam anathema. Patet, quia per omnem excommunicationem maiorem separatur quis à consortio fidelium, adeo, vt dicat Augustinus lib. de vn. Eccles. capite vltimo, *Tunc aliquem prædis, cum visibiliter excommunicatur, & lib. de Correct. & grat. capit. 15. nullam pœnam esse in Ecclesia maiorem, & eam vocat damnationem, quam facit Episcopale iudicium separando ab omnibus sanis moribundis, & multa similia habentur in decreto, 11. quæst. 3. & specialiter cap. 32. dicitur, Omnis Christianus, qui à sacerdotibus excommunicatur, Satana traditur, &c. In Concilio etiam Trident. sess. 25. cap. 4. de reformatione pro eodem sumuntur excommunicationis gladius & anathematis mureo, qui neruus Ecclesiastica discipline dicitur. Et in cap. Debeat. 11. q. 3. eadem solemnitas excommunicandi, & ferendi anathema præscribitur: sunt ergo illa duo in substantia & essentia idem, vt notarunt etiam Syluest. verb. Excommunicatio 1. in principio, & Soto dist. 22. qu. 1. artic. 1.*

Propter decreta autem in contrarium adducta addendum est, illa duo interdum accipi: vt diuersa secundum aliquam accidentalem solemnitatem, vel grauitatem, quia excommunicari quis dicitur quoties talis censura in eum fertur; anathematizari autem, præsertim, cum fit ab homine addere videtur publicam denunciationem cum quibusdam exterioribus signis ac cæremoniis, terrorem & damnationem maiorem indicantibus. Quando vero in excommunicationibus à iure latis adiungitur verbum illud, indicatur maior grauitas delicti, & præsertim indicari solet peccatum hæresis, aut schismatis, vel aliud æquitalens. Vox ergo anathematis solum additur ad exaggerandam grauitatem culpæ, & talis pœnæ. Ad hoc etiam (quod obseruandum est) interdum adduntur illæ particulæ *Maran Atha*, vt patet ex Syluest. Papa in cap. Guilielmus 23. quæst. 4. Sumptæque sunt ex Paulo 1. ad Corinth. 16. dicente. *Si quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum sit anathema, Maran Atha.* Quæ voces exponuntur ab Athanasio in quæstionibus, ad Aetochum quæst. 136.

Fr. Suarez tom. 5.

& ab Augustino Epist. 178. & Hieronym. Epist. 147. & omnes conueniunt, voces esse Syriacas: idemque significare quod *Dominus veniet*. Vnde Hieronymus, & Athanasius exponunt casualiter; *Sis anathema, quia Dominus iam venit.* Ac si Apostolus diceret, *Et ideo, qui illum non diligit: execrabilis est;* ab Ecclesia separandus: quæ expositio communior est, vt patet etiam ex Chrys. ho. 44. in illam epistolam, & aliis expositioribus in eundem locum. Augustin. vero exponit, *Anathema sit vsque ad aduentum Domini.* Qui sensus melius accommodari videtur decretis Pontificum, subintelligenda autem est conditio, *Nisi respiciat.* Vnde constat per talia verba non addi nouam pœnam, sed exaggerare eandem, vel causam & fundamentum eius.

Ad illa ergo decreta, in quibus innuebatur distinctio inter excommunicationem & anathema iuxta prædicta respondendum est, id procedere de distinctione accidentaria in grauitate delicti, & in cæremoniis, & acclamatione publica. Quæ responsio fit quidem satis ad Concilium Tridentinum, & ad capitulum *Cum non ab homine*, quàmuis Glossa ibi per excommunicationem intelligat suspensionem, per anathema vero excommunicationem maiorem. Quod intentioni nostræ non repugnat: dubito tamen de illa interpretatione verbi *excommunicandi*, & ideo magis placet prior expositio, quàm ibi confirmat Panormitanus numer. 23. distinguens etiam anathema à communi excommunicatione in solemnitate accidentali, quæ describitur in cap. Debeat. 11. quæst. 3.

Maior difficultas est in illo cap. Engeltrudam. & ideo Syluest. supra numero 3. insinuat excommunicationem ibi non significare propriam censuram, sed impedimentum illud, quod peccatum mortale natura sua affert ad suscipienda sacramenta. Sed hoc non potest textui accommodari: quia aperte loquitur de Ecclesiastica pœna, & ideo alij communiter explicant illum locum quo ad priorem partem de excommunicatione minori, quo ad posteriorem, scilicet anathematis, de maiori. Ita sentit Glossa ibi, & in cap. Si inimicus, 11. qu. 3. Obstant autem illa verba textus, *Quæ à fraterna societate separat*; quæ dicuntur de illa excommunicatione, quæ ibi ab anathemate distinguitur: at vero excommunicatio minor non separat à fraterna societate: ergo illa non erat excommunicatio minor. Dici vero potest, per fraternam societatem ibi non intelligi omnem fidelium communicationem, sed solum eorundem Sacramentorum communionem. Vel certe, si hoc nimis videtur violentum, dici potest, olim fuisse in vsu modum illum communicationis minoris, quem supra præcedente sectione dicebamus esse possibilem scilicet separando peccatorem ab externo conuictu & familiaritate fidelium, non vero præscindendo ab Ecclesia, & communibus suffragiis priuando. Et eisdem modis possunt exponi c. *Nemo Episcoporum*, & alia, quæ Richardus, & alij auctores afferunt. In quibus iuribus (vt Richardus etiam notauit) multum extenditur nomen excommunicationis: & interdum non significat propriam & specialem censuram, sed quæcumque priuationem vsus communionis, vel aliam similem pœnam inflictam pro peccato commisso: De qua re latius diximus supra disp. 4. de censuris in communi, sect. 5.

Definitio minoris excommunicationis speciatim exponitur.

Secunda difficultas est circa definitionem excommunicationis minoris, scilicet esse excommunicationem, quæ à perceptione sacramentorum separat: nam illa definitio neque soli, neque omni excommunicationi minori videtur continere. Prior pars constat, quia peccatum mortale priuat etiam par-

O 3 tici-

Qualis sit diuisio excommunicationis in maiorem, & minorem.



Vperea tandem inquirendum, an prædicta diuisio sit analoga, vel vniuoca; ne autem interrogatio inutilis videatur, moraliter potius quàm metaphysice sumenda est, id est, an secundum vsum iuris comparentur hæc duo membra, vt excommunicatio simpliciter dicta, de maiori intelligatur. Et ratio difficultatis est, nam in c. penult. de sent. excō. sic Gregorius IX. definit, Si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, a iudice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, fedetiam maiori excommunicatione ligatum esse: ergo verbum Excommunico, & pari ratione nomen, Excommunicatio simpliciter dictum pro maiori accipitur.

In contrarium autem esse videtur, quia multi sunt Canones, in quibus nomen excommunicationis absolute prolatum non potest de maiori intelligi, vt. significauit. de sent. excō. dicitur enim ibi, Qui communicat excommunicato, eadem excommunicationis sententia inuolui. Vbi non solum absolute ponitur nomen excommunicationis, sed cum illo relatio eadem, & nihilominus intelligi debet de excommunicatione minori; & consequenter de eadem non secundum speciem, sed secundum genus: quia propter participationem cum excommunicato non incurritur maior excommunicatio. Sed hic textus non vrget, quia necessario exponi debet de excommunicatione maiori illo speciali iure lata, & referuata Sum. Pont. propter quandam participationem in diuinis officiis, vt infra exponemus tractando de specialibus excommunicationibus iure latis. Nihilominus idem argumentum fieri potest ex c. 18. 11. q. 3. vbi sic dicitur, Cum excommunicato neque orare, neque loqui, neque vesicari: si quis enim cum eo, aut palam, aut absconso locutus fuerit, statim cum eo, communem excommunicationis contrahet penam. Vbi manifeste est sermo de externa communicatione cum excommunicato, propter quam sola excommunicatio, minor incurritur: & tamen ibi simpliciter vocatur communis excommunicatio. Præterea de consecr. di. c. 63. ex Cōc. Carthag. 4. c. 24. sic dicitur Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de Ecclesia fuerit, excommunicetur. Quod non potest de excommunicatione maiori intelligi, sed vel de minori, vel fortasse de sola priuatione alicuius communionis. Similia decreta inueniuntur in Canonibus Apostolorum, vbi propter leues causas aliqui communione priuantur: non ergo erat illa semper excommunicatio maior. Præterea (quod magis vrget) in c. de excep. in 6. dicitur, Si quis in iudicio excommunicationem opponit, speciem illius declarare debere. Vbi Glossa declarat inditum esse propter speciem excommunicationis maiorem, vel minoris, quarum prior sufficit ad exceptionem in iudicio, non vero posterior: & ideo non satis est excipere per nomen generis, quod ambiguum est: ergo commune nomen excommunicationis, iuxta intentionem illius textus, simpliciter dictum non sumitur pro excommunicatione maiori. Imo, si vox illa de se indifferens est, cum aliqui penam indicet, quoties a iudice simpliciter proferetur, in mitiore partem erit interpretanda iuxta communes iuris regulas.

Nihilominus dicendum est quamuis hoc nomen excommunicationis in antiquo vsu Ecclesiæ latissime habuerit significationem, vt recte probant iuracitata, & quæ in prima difficultate præcedentis sectionis adduximus: iam vero in præsentī Ecclesiæ statu coarctatam esse illius vocis significationem ad illud duplex membrum maiorem, & minoris excommunicationis, inter quæ minor excommunicatio existimatur

participatione sacramentorum. Altera probatur, quia vt multi volunt, sunt aliquæ excommunicationes minores, quæ priuant aliqua communicatione fidelium, & non participatione sacramentorum. Vnde confirmatur, nam iuxta illam definitionem, nec diuisio illa erit adæquata, neque vlla ratio sufficientiæ eius reddi poterit. Nam excommunicatio maior, eo quod sit veluti priuatio totalis, est vnius rationis: at vero quælibet, excommunicatio, quæ fit quasi partialis priuatio, erit condistincta ab illo membro, & sub minori excommunicatione comprehendetur. Et hoc modo erit adæquata diuisio, & per se patet sufficientia eius: quia inter totalem, & partialem priuationem non est medium. At vero excommunicatio partialis, vt sic dicam, latius patet, quam separatio à sola participatione sacramentorum, quia posset esse alia separatio à sola communicatione fidelium, vel à solis suffragiis communibus, vel aliis huiusmodi: nam vt supra tetigimus, non repugnat dari hos modos excommunicationis, seu penæ; ergo, vt sit adæquata diuisio, debuisset excommunicatio minor generalioribus verbis definiri, nimirum esse excommunicationem, quæ tantum priuat parte aliqua Ecclesiasticæ communicationis.

12
Peccatum mortale non comprehendit sub excommunicatione minori.

Ad priorem partem respondetur primo, peccatum mortale excludi per genus illius definitionis, quia illud non est excommunicatio; secundo, quia diuerso modo impedit, receptionem sacramentorum. Tum quia non impedit, directe ac per se eam prohibendo, sicut censura; sed solum, quia constituit personam indignam ad talem actionem. Vnde respectu alicuius sacramenti, scilicet penitentiae, non fit aliquis omnino incapax per peccatum, si saltem attritionem illius habeat: per excommunicationem autem minorem directe prohibetur quis suscipere sacramentum. Tum etiam, quia peccatum ita impedit, vt, si per contritionem auferatur, per se loquendo, & ex vi eius non sit necessaria alia Ecclesiastica absolutio, vt homo possit sacramenta suscipere. Nā, quod ad sumendam Eucharistiam sit necessaria confessio sacramentalis, speciale est ex proprio præcepto Christi. At vero excommunicatio minor ita impedit, vt Ecclesiastica absolutio, per se loquendo, necessaria sit ad tale impedimentum tollendum.

12
Omni excommunicationem minorem priuare sola sacramentorum participatio.

Ad alteram partem difficultatis infra in propria disputatione de excommunicatione minori ex professo videndum est, an dentur plures species minoris excommunicationis. Nunc supponimus ex decisione illius textus de facto non dari aliam, quæ propria censura sit, præter eam, quæ priuat pasciua participatione sacramentorum: iura autem non definiunt, nisi illas censuras excommunicationis, quæ sunt in vsu Ecclesiæ: Vnde ad confirmationem dicitur, speculative, seu de possibili, vt sic dicā recte procedere omnia, quæ in ea obiciuntur. Tamen sufficientia huius diuisionis, prout est in praxi Ecclesiæ, nobis querenda non est ex sola ratione, sed ex iure positio quo hæc censura & excommunicationes introductæ sunt. Ac propterea ideo non sunt plures, quia ex iure Canonico, vel ex vsu Ecclesiæ, saltem secundum præsentem praxim eius, plures introductæ non sunt: & ideo non debet excommunicatio minor sub illis generalibus verbis definiri, sed sub propriis, & specialibus: quia descriptio illa est ad explicandam illā excommunicationem minorem, quæ de facto est in vsu. Cur autem Ecclesiā non introduxerit alios modos excommunicationis minoris seu partialis, non oportet sollicite inquirere: quia in his, quæ ex iure positio pendunt, satis est dicere hunc modum fuisse convenientem, & non oportuisse alios modos multiplicari.